



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reverendis Et Illvstribvs Dominis Virisqve Clarißimis
Subdecano & Canonicis Metropolitanæ Eccle-||siæ
Coloniensis dominis suis gratiosis ...**

Hermann <V., Köln, Erzbischof>

[Köln], [1545]

VD16 K 1742

Reverendis Et Illvstribvs Dominis Virisqve Clarißimis Subdecano &
Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis dominis suis gratiosis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35072

45
y... a...
C...
17

REVERENDIS ET ILLVSTREBVS DOMINIS VIRISQVE CLARISSIMIS Subdecano & Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Colonienfis dominis suis gratiosis.



REVERENDI, ILLVSTRES, generosi, clarissimiq; uiri domini mei gratiosi & perpetuo colendi. Saluere ac pie fortiterq; agere Reuerendas & Illustres dominationes uestras à Deo semper precor et opto, ac paruitati meæ ueniam suppliciter peto, quòd meis literis obstrepere importunè, ut uereor, grauioribus curis negotijsq; uestris præsumo. Certe non alia id à me fit ratio, nisi ut fideli studio cupiam Reuerendis ac Illustribus D. V. inseruire, ubicunq; detur mihi facultas aut occasio, qualis profecto nunc non ita parua mihi oblata uidetur. Nam ut uidi copiam duarum Archiepiscopi uestri Epistolarum, quas inuidiosis querelis odiosè refertas aduersus Reuerendas & Illustres D. V. & contra totum Clerum, Vniuersitatèq; Coloniensem, ad Principes ac Status sacri Romani Imperij è Buscho uenicesimo sexto Iunij scripsit, eas raptim excipisti, & in Latinum transluli, ac mox duo exemplaria Latina per proprium nuncium Augustam misi, ut per ueredariam postam (ut uocant) ulterius mittantur, unum, Tridentum ad Reuerendissimum dominum Cardinalem S. Crucis legatum: alterum Romam ad R. D. Cardina. Ardingellum. Et nunc alia mitto, tum Vuormatiam ad Reuerendiss. D. Rossanensem Archiepiscopum Nuncium apostolicum, tum ad Reuerendas & Illustres D. V. Et si enim non ignoro Coloniae per gratiam Dei multos esse uiros, qui eas Epistolas longe clarius elegantijsq; aptius, quàm ego, interpretari sciant ac possint, dubitavi tamen apud me ipsum, an Epistolarum illarum copia statim ad manus uestras peruenerit. Timui enim, ne forte insidiosè & astute practicaretur in tergum uestrum, antequam resciretis Tragicas istas Archiepiscopi & Principis uestri aduersum uos querelas. Rogo igitur deuotè ac suppliciter, Reuerendæ & Illust. D. Vestræ hanc meam curam ac sollicitudinem æqui boniq; faciant, & ineptiorum translationem meam non indignè accipiant. Quod si forte per alias occupationes uestri in hoc graui certamine præpediti, eas Epistolas in Latinum non uerterunt, oportuum mihi uideretur, ut hoc exemplar meum clarius factum & transcriptum, primo quoq; tempore cõmunicetur alijs, qui Appellationi uestræ tam piæ quàm necessariæ, in terris inferioribus adherent, cõ quod
A illi

illi Germanicum nostrum difficulter legunt & intelligunt, praesertim Leodienses & Traiectenses. Adde praeterea schedam antiquae historiae ex Chronicis Reginonis, cui etiam Otto Frisingensis & Sigebertus in Chronicis concordant. Ex qua cognoscere licet, quid acciderit olim Guntherio Archiepiscopo quondam uestro, quem ego centuplo minus peccasse crediderim, quam peccat nunc praesens iste Archiepiscopus uester. Bene autem spero Deum Optimum Maximū & uiuorum in terris precibus, & sanctorum in caelo intercessionibus assiduīs exoratum, breui uiam pacis uobis istic praeparaturum esse, iuxta illud uerbum Saluatoris nostri in Lucae Euangelio scriptum: Deus autem non faciet uindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis. Dico autem uobis, quia cito faciet uindictam illorum. Haec consolationis uerba non possunt esse irrita, quia scriptum est: Veritas domini manet in aeternum. Bene ualete, & inuicem consolamini & confortamini in hisce uerbis aeternae ueritatis, quae mentiri aut fallere non potest, Reuerendi, Illustres ac gratiosi domini mei. Hoc enim certamen uestrum pro fide & ueritate Ecclesiae sempiternam uobis ad posteros & successores uestros gloriam ac laudem procul dubio pariet, nec uos Deus in tempore hoc malo in finem usque derelinquet. Iterum ualete. Ex Eystet. Calendis & primo die mensis Augusti. Anno domini. M. D. quadragesimo quinto.

Reuerendis & Illustribus D. V.

Perpetuo deuotus & ad
quaeuis obsequia paratus

Ioannes Cochleus
Canonicus Vratis
lauien. & Chori S.
Vuilibaldi Eysteten.